

# Metrik-Übungen

---

*Ov. met. I 5–28; 29–58; 59–88*

Ante mare et terras et quod tegit omnia caelum      5  
unus erat toto naturae vultus in orbe,  
quem dixere chaos: rudis indigestaque moles  
nec quicquam nisi pondus iners congestaque eodem  
non bene iunctarum discordia semina rerum.  
nullus adhuc mundo praebebat lumina Titan,      10  
nec nova crescendo reparabat cornua Phoebe,  
nec circumfuso pendebat in aere tellus  
ponderibus librata suis, nec bracchia longo  
margine terrarum porrexerat Amphitrite;  
utque erat et tellus illic et pontus et aer,      15  
sic erat instabilis tellus, innabilis unda,

lucis egens aer; nulli sua forma manebat,  
obstabatque aliis aliud, quia corpore in uno  
frigida pugnabant calidis, umentia siccis,  
mollia cum duris, sine pondere, habentia pondus.      20  
Hanc deus et melior litem natura diremit.  
nam caelo terras et terris abscidit undas  
et liquidum spisso secrevit ab aere caelum.  
quae postquam evolvit caecoque exemit acervo,  
dissociata locis concordi pace ligavit:      25  
igneae convexi vis et sine pondere caeli  
emicuit summaque locum sibi fecit in arce;  
proximus est aer illi levitate locoque;

densior his tellus elementaque grandia traxit  
et pressa est gravitate sua; circumfluus umor 30  
ultima possedit solidumque coercuit orbem.  
Sic ubi dispositam quisquis fuit ille deorum  
congeriem secuit sectamque in membra coegit,  
principio terram, ne non aequalis ab omni  
parte foret, magni speciem glomeravit in orbis. 35  
tum freta diffundi rapidisque tumescere ventis  
iussit et ambitae circumdare litora terrae;  
addidit et fontes et stagna inmensa lacusque  
fluminaque obliquis cinxit declivia ripis,  
quae, diversa locis, partim sorbentur ab ipsa, 40  
in mare perveniunt partim campoque recepta  
liberioris aquae pro ripis litora pulsant.  
iussit et extendi campos, subsidere valles,

fronde tegi silvas, lapidosos surgere montes,  
utque duae dextra caelum totidemque sinistra 45  
parte secant zonae, quinta est ardentior illis,  
sic onus inclusum numero distinxit eodem  
cura dei, totidemque plagae tellure premuntur.  
quarum quae media est, non est habitabilis aestu;  
nix tegit alta duas; totidem inter utramque locavit 50  
temperiemque dedit mixta cum frigore flamma.  
Inminet his aer, qui, quanto est pondere terrae  
pondus aquae levius, tanto est onerosior igni.  
illic et nebulas, illic consistere nubes  
iussit et humanas motura tonitrua mentes 55  
et cum fulminibus facientes fulgura ventos.  
His quoque non passim mundi fabricator habendum  
aera permisit; vix nunc obsistitur illis,

cum sua quisque regat diverso flamina tractu,  
quin lanient mundum; tanta est discordia fratrum. 60  
Eurus ad Auroram Nabataeaeque regna recessit  
Persidaeque et radiis iuga subdita matutinis;  
vesper et occiduo quae litora sole tepescunt,  
proxima sunt Zephyro; Scythiam septemque triones  
horrifer invasit Boreas; contraria tellus 65  
nubibus adsiduis pluviaque madescit ab Austro.  
haec super inposuit liquidum et gravitate carentem  
aethera nec quicquam terrenae faecis habentem.  
Vix ita limitibus dissaepserat omnia certis,  
cum, quae pressa diu fuerant caligine caeca, 70  
sidera coeperunt toto effervescente caelo;  
neu regio foret ulla suis animalibus orba,  
astra tenent caeleste solum formaeque deorum,

cesserunt nitidis habitandae piscibus undae,  
terra feras cepit, volucres agitabilis aer. 75  
Sanctius his animal mentisque capacius altae  
deerat adhuc et quod dominari in cetera posset:  
natus homo est, sive hunc divino semine fecit  
ille opifex rerum, mundi melioris origo,  
sive recens tellus seductaque nuper ab alto 80  
aethere cognati retinebat semina caeli.  
quam satus Iapeto, mixtam pluvialibus undis,  
finxit in effigiem moderantum cuncta deorum,  
pronaque cum spectent animalia cetera terram,  
os homini sublime dedit caelumque videre 85  
iussit et erectos ad sidera tollere vultus:  
sic, modo quae fuerat rudis et sine imagine, tellus  
induit ignotas hominum conversa figuras.